

Rursus animadvertisendum est dispositionem Nov. Constit. earumque verba dirigi in personas Utentium aquis Olonæ, non autem in bona irriganda ex dictis aquis, ideo nullam fieri differentiam inter Possessorem majoris quantitatis Pratorum, & Possessorem minoris perticatus, sed omnes Possessores æquè afficere taxam prædictam solid. quatuor, licet ambigendum non sit, quin de tempore conditæ, & publicatæ dictæ legis adfuerint Utentes possidentes in majori, alii vero in minori quantitate Prata irrigabilia, & nihilominus pro omnibus indistincte eadem præscribitur taxa, eademque constituitur merces Notario pro actu fidejussionis præstandæ.

Si etenim violanda esset lex, si recedendum esset ab antiqua taxa, & retineri vellet abusus introductus, ut dicitur per Notarium Cam-
pum, cui aquiescit Egr. Thesaurarius plus scilicet exigendi pro dicto fidejussionis actu à plus possidente, minus autem à minori Possessore, semper tamen ultra legis præscriptum, introducetur quodammodo species pericatus solvendi Notario ultra illum, qui tanquam onus reale, & certum solvi debet vel Civitati, vel Ducatui.

Quam autem exitialis esset Utentibus ipsis hic abusus, non est, qui non videat, potissimum in circumstantiis hujus temporis, in quibus undequaque per crescunt Possessoribus bonorum onera ex causa Belli, quæ talia sunt, ut spes absit illorum diminutionis etiam per longissima tempora futura.

Agit videtur de re undique clara pro Utentibus, quibus favet littera legis. Habet Notarius remedium si contentus non est statuta mercede. Dimitrat Officium cum non unus, sed plures aderunt Notarii, qui tantas non desiderant propinas, quantas optaret præsentaneus Notarius, qui de Taxa legali conqueritur, & legem ipsam vellet aptare ejus desiderio, non autem voluntatem suam legi subiicere.

Quæ respectu mercedis Notarii adduxerunt Utentes, urgent etiam pro mercede Dietarum, quæ debetur Judici, seu Commissario pro accessu in rem præsentem, quidquid enim sit de allegatis providentiis, quibus recessum dicitur à dispositione legis, retinenda tamen semper sunt, quæ superius tetigerunt Utentes relativè ad prætensiones Notarii, & ulterius animadvertisendum, quod si aliqua facta fuit Taxatio pro Dietis prædictis excedens metam à lege præscriptam, vel illa processit occasione alicujus casus particularis, in quo fortasse considerari posset aliqua specialis ratio non applicabilis casui considerato per leges provinciales, signanter vero potuit retineri, quod taxatio per legem facta pro Dietis non esset comprehensiva visitationis generalis per Amplissi-

plissimum Patrem Conservatorem faciendæ, de qua nihil actum
habetur in Novis Constitutionibus, & sic casus visitationis gene-
ralis consideratus fuit tanquam omnis omisso, atque ideo determinabi-
lis diversimodè à casibus per legem consideratis.

Præmissis addendum, quod nulla producitur per Senatum Excel-
lentissimum data spesialis providentia cum derogatione Taxæ
per legem factæ; Ignotum est an quod semel fuit in uno casu di-
spositum, voluerit, ut pro lege generali servaretur in omnibus ca-
sibus indistinctè, an factum fuerit vel consentientibus, vel sal-
tem auditis interesse habentibus, & an actus successivè circa-
præmissa, ut afferitur, facti per Commissarios, inducere potue-
rint consuetudinem abrogativam legis alioquin non inducibilem à
privato, vel Judice inferiori, qui non habet potestatem, nec raci-
tè, nec explicitè derogandi legibus per Superiorem indictis, po-
tissimum in materia, quæ admixtam habere potuit aliquam vim
de facili præsumibilem, ubi agitur de commodo, & utilitate pri-
vata, ac bursali alicujus jurisdictionem habentis prout est Com-
missarius.

Demum retinendum est, quod Senatus M. V. semper, & diversis
temporibus in vim legis mandavit omnibus Judicibus, ut taxas
Sportularum, & Honoriorum à Nov. Const. præscriptas in-
conscius servarent, licet innegabile sit, quod de tempore respe-
ctivorum Ordinum editorum auctoritate Senatus monetæ spe-
cificæ sumpserint augmentum, & alterationem relativè ad
valorem, quem habebant tempore, quo publicata fuit dicta lex
provincialis.

Inter cæteros Senatus Ordines, qui in subjecta materia recenseri
possunt, videndi sunt ordo diei 26. Novembris 1541., quem re-
fert citatus Mogn. in sua Collectanea fol. 18. Alter diei 8. Augu-
sti 1669., quem pariter allegat citatus Mogn. fol. 347. Alter 6.
Februarii 1672., de quo pariter relationem facit Collectanea di-
cti Mogn. fol. 357. Alter diei 16. Aprilis anni 1674., relatus in
eadem Collectanea fol. 366. Alter diei 17. Augusti 1679. cuius
pariter tenor habetur in eadem Collectanea fol. 393.

26/11/1541

8/8/1669

16/4/1674

17/8/1679

Ex dictis repetitis Ordinibus manifestum fit, quam sollicitus fuerit
Senatus M. V. de observantia taxarum per Nov. Constit. præ-
scriptarum pro mercede, & honorario Officialium, potissimum
etiam cum in aliquibus ex iisdem Ordinibus cominata, & infla-
cta fuerit pena adversus exigentes mercedes ultra taxam præ-
scriptam à Nov. Const.

Ulterius addendum, quod in Diario Fori habentur taxæ pro execu-
tionibus realibus, & personalibus, ac aliis, ut ex eo, quas taxas
Excelsus Ordo observari jubet cominata etiam pena corporali in

tra-

alias per Regium Fiscum prætensum in eodem Flumine, videntes quod Officium disponit de re aliena, qua ipsi Utentes indigent ad irrigationem propriorum bonorum. Quomodo æquitati, & Justitiæ consonum esse possit hoc Officialium arbitrium diudicet M. V.

Quo vero ad licentias, quæ concedi prætenduntur prò restaurationibus circà Fistulas, & Buccas eorumdem Utentium, vel refectionem aliorum operum ad Molendinorum usum in Flumine existentium, agnoscere debuisset Regius Fiscus illas prorsus esse inutiles, quia ubi reficiens, vel restaurans, normam non servet à lege præscriptam (quod contingere potest, tam in casu habitæ, quam in casu non habitæ licentiæ) liberas habet ædes Officium procedendi ad poenas indictas, absque eo quod licentia, vel reportata, vel non inveniat in aliqua parte contraventionem commissam, ita ut perceptibilis non est aliqua plausibilis ratio, ob quam dicta licentia dici possit necessaria, vel ad conservationem Fluminis, vel ad indemnitatem causæ, tam publicæ, quam privatæ, sed unicè affirmari poterit, quod introducta fuerit prætensio licentiarum, ut ex earum mercede Officiales commodum sentiant, Utentes vero semper sint in damno.

Quo vero ad earumdem licentiarum mercedem in impugnato supposito, quod M. V. placeret decernere in aliquo particulari casu esse obtinendas, quod Utentes non credunt, potissimum eis inauditis, percipi nequit, quo Jure sit præstanda, vel faltem in prætensa quantitate. Si enim agitur de licentiis pro usu aquarum concedendo illis, quibus nullum jus competit in Flumine, planum est, quod sicuti repugnat æquitati, & justitiæ ut rei alienæ concedi possit usus pro aliquo tempore, ita, sublata facultate dictas concedendi licentias, superfluum fit de earum mercede agere; Si vero de aliis licentiis sermo est, quatenus in aliquo singulari casu necessariae fortasse crederentur, admittere nequeunt Utentes eas deberi juxta taxam, quam sibi figuravit Officium, & quam afferitur approbatæ Regium Fiscum.

Quidquid enim esse possit de mercede licentiarum quas Magistratus Extraordinar. Reddit. concedit pro usu aquarum Mutiæ, attamen certum est desumi non posse exemplum applicabile Flumini Olonæ, cum diversitas non modica intercedat ab uno, & altero casu. In Flumine Mutiæ urget ratio Dominii spectantis Regiæ Cameræ, cuius intuitu licentia usus aquarum considerari debet alicujus importantiæ; Secus tamen est in Flumine Olonæ, in quo Regius Fiscus nullum Jus amplius habere potest à die transactionis anni 1610 citra, præter illud simplicis Jurisdictionis, non dissimile ab illo, quod competit super Privatorum bonis, quod Jus non importat,

tat, ut habens Jurisdictionem concedere possit licentiam utendi
re tertio specante.

Quoties vero hæc facultas ex Judicio M. V. dici posset competens sal-
tem respectu illorum, qui sunt ex numero Utentium, quious ex
aliqua circumstantia existimari posset potius ex æquitate, quam ex
Justitia, concessibilis licentia utendi aquis tempore non suo, ita-
tamen ut aliis Utentibus injuria non fiat, eisque desperiat, quod
alteri conceditur, tunc merces hujus licentiæ, si qua deberi cogno-
sceretur, effet restringenda ad quid minimum, non autem me-
tienda eodem modo, quo determinari prætenditur taxa pro illis,
qui non sunt ex numero Utentium.

Sicuti tamen Utentes credunt M. V. decreturam fore omnes licentias
in universum esse derogandas, nec imposterum amplius conce-
dendas, ita Utentibus licet credere, quod ulterius non sit agendum
de prætensa mercede earumdem licentiarum, cum accidentis stari
non possit sine subiecto, ita siquidem cessabit omnis quæstio circa
quantitatem mercedis relativè ad prætensem laborem circa dictas
licentias, quæ alioquin non indigent dictatum ^{non} excedente dimidium
folii.

Quin imò possent etiam dictæ licentiæ, quatenus M. V. illas esse re-
portandas in aliquo particulari casu decerneret, quod Utentes cre-
dere nequeunt ex iis, quæ jam superius dicta sunt, sub certa for-
mula typis ædi in albo relicto nomine illius, quidicta licentia
uti deberet, eveniente casu superaddendo per characterem manu-
scriptum, ut ita fileat omnis prætextus laboris adhibendi in exten-
sione dictæ licentiæ.

Hicque opportunitè non est prætermittenda animadversio circa affer-
tos labores, quos asserit Notarius Officii in ejus responso, plures
impendere debere ex Officio in concernentibus materiam dicti
Fluminis. In quo tamen consistant prætensi labores, nec à Nota-
rio exprimitur, nec ab Utentibus est excogitabile; Si enim singu-
latim essent recensenda, quæ à Notario dependent vel pro usu Ju-
risdictionis, vel prò aliis respicientibus modum utendi dictis aquis
ad normam Nov. Constitutionum, nil erit allegabile, quod ali-
quid utilitatis non producat Notario ipsi, qui si aliquid sine mer-
cede dimittit, id peragit, vel quia minima deditatur, vel quia gra-
tos sibi reddere vult amicos suos.

Nec est aliquid deferendum prætensiæ consuetudini, sive quia, ut su-
perius dictum fuit, illa non probatur, sive quia potius corrupte-
læ nomen dandum esset illis exactionibus, quæ nulla lege, & nul-
la prævia taxa, factæ fuerunt non ab omnibus, sed tantum ab ali-
quis, qui licentias de tempore in tempus reportarunt, & si
ingenuè fateri vellet Notarius, quod de facto exegit ab illis, qui

impetraverunt licentias utendi absque Jure dictis aquis Olonæ, vel saltem tempore non suo, constaret, quod merces licentiæ est quid minimum relativè ad id, quod de facto ad ejus minimum pervenit; Plura siquidem audierunt Utentes, quæ tamen nolunt hic adducere, & probare, ut possent, si daretur necessitas, quæ convincunt nusquam concessas fuisse per Officium aliquas licentias utendi extra ordinem dictis aquis, quin prævia adfuerit pactio circa quantitatem erogandam nomine dictæ licentiæ, licet exinde apparenter emersisse dicatur solutio dumtaxat librarum sex, in qua afferitur stetisse prætensam consuetudinem.

Sivè itaque quia inutilis cognoscitur dictarum licentiarum usus, qui Novis Constitutionibus incognitus fuit, dum nihil de hisce licentiis dispositum fuit, datis dumtaxat providentiis adversus Contraventores, qui alterassent statum Fistularum, sive quia beneficio earumdem licentiarum, nulla affertur Utentibus utilitas, minusque occurritur Contraventionibus, semper sperandum est, quod M. V. delere debeat hoc introductum arbitrium licentiarum, quæ introductæ fuerunt ad meram utilitatem Officii, cuius commodo unicè cedunt ob proventum, qui in earum concessione percipitur, semper tamen cum Utentium damno, ita enim sublata erit omnis quæstio mercedis, & cessabit quodlibet Utentium præjudicium, relicta dumtaxat Officio libertate procedendi contra illos, vel qui non servant Ordines in restauratione, vel reflectio ne Operum, vel qui re communi abutuntur, vel rei alienæ manum apponere tentant.

Descendendo autem ad illam providentiam, quam petierunt Utentes relativè ad tempus, quo aquarum usus licitus esse debeat cuiqq; Utentium classi, potissimum postquam invaluit usus, ut aquarum distributio fieret per hebdomadas, quarum una cederet favore Utentium Superiorum, altera vero favore Inferiorum, licet aliter dispositum legatur in Nov. Const., plura adduxisse dicitur Officium in respectivis responsis tum Egregii Commissarii, tum Notarii, alia vero insinuasse circumfertur Regium Fiscum in ejus Voto, collimantia in id, quod Officium ipsum deduxit.

Prætenditur siquidem tempus irrigationis mensuram recepisse à Nov. Const., licet vigente siccitate recessum fuerit à dispositione legis, dividendo per hebdomadas usum aquarum, qui à legibus Provincialibus fuerat per dies distributus. Non attendendam aliquam consuetudinem, tractu temporis introductam, qua usus aquarum diversimodè competit.

Dura profectò videtur Utentibus hæc Officialium prætensio, si enim agitur de mercede, vel licentiarum, vel aliorum, quæ ab Utentibus Officio sunt præstanta, circà quæ habetur certa taxa per legem facta

facta, intendit Officium ut servandum sit, non quod lex præscripsit, sed quod prætensa consuetudo introduxit, ubi vero agitur de modo, & tempore utendi dictis aquis, insistit Officium, ut rejecta quacunque consuetudine, standum sit dispositioni legis, licet alioquin Utentes ipsi deduxerint res perductas fuisse ad statum, à quo principium habere non potuerint; Cur favore Officii, & ubi agitur de Interesse bursali Officialium retinenda sit prætensa consuetudo contraria legi, & deroganda sit lex resistens consuetudini, ubi vero agitur de Utentium Interesse, & commodo reiicienda proorsus sit quælibet consuerudo, & ad unguem servanda sit lex, quæ ob mutationem status rerum, non amplius providet necessarii Utentium, profectò non est excogitabile.

Debuisset Officium, postquam in materia Mercedum, & Dietarum proposuit non esse amplius observandas antiquas taxas per legem præscriptas, sed quidem attendendam esse prætensam consuetudinem, licet haec tenus saltem legitimè non probatam, debuisset inquam admittere, ut in cæteris respicientibus usum aquarum, idem Jus statueretur favore Utentium; Nimis enim repugnat, ut damnetur tanquam corruptela quidquid à tempore latarum Constitutionum usque in hanc diem immutatum est circa modum, & tempus utendi aquis Olonæ; Laudetur verò, & declaretur uti legitima consuetudo, quidquid à tempore dictæ legis Provincialis circa immutatum fuit respectu Mercédis, aut Dietarum Officialibus debitarum.

Fortius vero concurrente pro Utentibus necessitate deflectendi à lege, ne alioquin Prata irrigua sine beneficio irrigationis in arido remaneant, tunc siquidem consulendum est prò illo casu, cui provida lex consuluisset, si eo tempore prævidere potuisset, vel provisus remansisset.

Dividit lex Utentes Aquarum in tres Classes, & unicuique assignat integrum diem horarum vigintiquatuor in singula hebdomada ad irriganda Prata. Admittit Officium, quod tractu temporis ita sint adaucta ipsa Prata, ut in hanc diem perticarum numerus ascendet ad quadraginta mille, quando de tempore latæ legis perticatus Pratorum vix excedebat numerum decem milium; Sive per abusum, sive licetè augmentum Pratorum secutum sit, certum tamen est, quod si præscindi vellet à consuetudine utendi dictis aquis, plurima Prata essent aratro submittenda, prout jam nonnulla submissa fuerunt in parte inferiori Fluminis, quia vel ex usurpatione Superiorum, vel ex licentiis, quas Officium sibi fecit libertatem concedendi in parte superiori Fluminis, ita æstivo tempore deperiit Inferioribus aqua, ut sufficeret non potuerit prò irrigatione Pratorum, quæ proindè debuerunt ad culturam reduci.